



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

§. 23. Populus Parisiis in Calvinistas concitatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

Sæcul. XVI
A.C. 1572. bis plateas raptat, tandem que ad furcas Monfalconias deportatum ferreis catenis suspendit: ast paulo post Franciscus Momorantius proxima cognatione, & majore necessitudine mortuo conjunctus, qui se mature periculo eripuerat, per homines fidos nocte illud e patibulo transferri, & Cantiliæ in facello terræ mandari curavit.

§. XXIII.

Populus Parisiis in Calvinistas concitatus.

Mezeray t.
3. p. 388.
Thuan. p.
818.

Occiso Colinio omnes, qui vel obvii in ejus ædibus reperiiebantur, vel ibidem latebant, pari fato sublati fuerunt: protinus vero milites ad rapinas vertuntur, arcisque refractis pecuniam, & alia pretiosa deprædantur, literis tantum, & chartis conservatis, quas Colfenius ad Reginam Matrem detulit, prout ipsa jusserat. Demum Nivernius, & Montpenferius Duces, necnon Tavianius per urbem armati volitant, & currenti plebi, atque ad cædem jamjam paratæ stimulos addunt, simulque per vicos, & compita sedulo divulgant, conjurationem a Colinio, & sectæ suæ sociis initam fuisse contra Regem, Reginam, Regis fratres, ac Navarræ Regem, ac ipsum Condæum Principem, eo fine, ut postmodum regnum ad Reipublicæ

publicæ regimen, normamque reducere possent, proin Catholici absque conscientia anxietate illos exterminare valerent, ac duntaxat vix unius horæ tempore illorum furorem prævenirent. Ceterum hanc conjunctionem raro Dei beneficio esse datam spargebant, proinde ne impiorum hominum, & capitalium Regis, ac patriæ hostium sanguini parcerent, sed in illorum bona ut prædam legitime partam involarent, cum ea sit Regis voluntas, ut pestiferum, ac serpentinum semen extirpetur, & sectario veneno extincto, nonnisi sola Religio Catholica in posterum floreat (*).

§. XXIV,

Plures Proceres hac in occasione trucidati.

Hæ adhortationes adeo artificiosæ, ac Religioni non minus, quam pro-
bitati, & humanitati adversantes haud suo caruere successu; quippe nec senibus, nec infantibus, nec prægnantibus parcebatur, cunctis promiscua cæde dele-

(*) Quantum Continuator horum Procerum verba in Catholicorum invidiam auxerit, Lector verba illius cum textu, quem citat, conferens, deprehendet.

Hist. Eccles. Tom. XLIX.

C

Sæcul. XVI.
A. C. 1572